





DE
OBLIGATIONE
REI
AD SUSTINENDAM
POENAM

Auspice Deo,

PRÆSIDE

JOH. EBERHARDO RÖSLERO,

Philosophiæ Practicæ Prof. Publ. Contubernii
Rectore, Facult. Philos. h. t. Decano,

Pro Laurea secunda rite capeffenda

Disputabunt

JOH. CONRADUS ERGEZINGER, Renningens.

&


JOH. FRIDERICUS WEIGELIN, Stuttgardianus.

Die Mars. Anno MDCCXII.

H. L. Q. C.

TUBINGÆ,

Literis HIOBI FRANCKII.





§. I.

Rodit haud ita pridem nostro sub praesidio
 Dissertatio de Obligatione Rei, in
 qua hanc quatuor capitibus conclusimus, nempe
 ut vocatus compareat, interroga-
 tus veritatem confiteatur, in senten-
 tia iudicis acquiescat, & damnatus poenam
 patienter sustineat. De tribus prioribus tum quae di-
 cenda videbantur, exposuimus: quartum peculiari Dissertatio-
 ni reservatum fuit, quam nunc exhibemus: illam potissimum
 evoluturi quaestionem, an reus, ad mortem con-
 demnatus, possit fugere, carceres effringere,
 aut adversus executores se defendere: & si quid
 praeterea ad hoc argumentum pertinere videbitur, una expen-
 suri. Primo autem, quid reo noxio, deinceps quid innocenti
 liceat, videbimus.

II.

Praecipuum vero totius prioris argumenti momentum in
 ea quaestione videtur collocatum: An in delinquente sit aliqua
 ad poenam sustinendam obligatio? Negat Hobbesius, qui Le-
 viath. Cap. XIV. ita disserit: *Si quis se ipsum non defensurum esse*
A 2 contra

contra vim paciscatur, pactum invalidum est. Nam jus se defendendi
 contra mortem intentatam, vulnera, incarcerationem (quorum fugien-
 dorum causa jus in omnia naturale depositum est) deponere nemo pot-
 est. Nam etsi aliquis recte pacisci potest sic. Nisi hoc, vel illud fecero,
 occide, pacisci tamen non potest sic. Nisi hoc, vel illud fecero, occisuro
 non resistam. Eligit enim homo naturaliter minus malum, id est, peri-
 culum à resistèntia potius, quam malum majus, nempe mortem certam.
 Atque hæc norunt omnes, qui condemnatos sive ad carcerem, sive ad
 mortem armati ducunt. Hobbessio passim succinit Pufendorffius,
 quod non modo patet ex loco in superiori dissertatione à no-
 bis excusso de J. N. & G. L. IV. C. I. §. 20. ubi ex isthac hy-
 pothesi deducit, posse delinquentem delictum negare coram
 judice: sed & ex Lib. IIX. c. 3. §. 4. 5. & 15. Quanquam enim
 interdum ita loquatur, ut videri possit accusandi sui & pœnæ
 ultro accersendæ obligationem tantum voluisse inficiari, argu-
 menta tamen & nexum verborum si respicias, facile patet,
 omnem omnino ad pœnam obligationem ipsum una cum
 Hobbessio tollere. Quo nomine à Kulpisio in Collegio Gro-
 tiano, nec non ab Hubero de Jure Civit. Lib. II. sect. 6. c. 1.
 §. 20. seqq. Barbeyracio & Hertio in notis adjectis arguitur,
 & refutatus quondam fuit à Chr. Thomasio in Inst. Jurispr.
 Div. Lib. III. c. 7. §. 67. seqq. qui tamen in fundamentis Juris
 Nat. & G. ut & in notis ad Huberum, mutat priorem sententi-
 am, & Pufendorffianam confirmare studet. Grotius è con-
 trario obligationem ejusmodi disertis verbis adstruit de J. B.
 & P. Lib. II. c. 20. §. 2. n. 3. Verum est, inquit, in pœnis primo ac
 per se exerceri explettricem justitiam, quia scilicet qui punit, ut recte
 punit, jus habere debet ad puniendum, quod jus ex delicto nocentis
 nascitur. Atque hæc in re est aliquid, quod ad contractuum naturam
 accedit. Quia sicut qui vendit, etiamsi nihil peculiariter dicat, obli-
 gasse se censetur ad ea omnia, quæ venditioni sunt naturalia, ita qui
 delinquit, sua voluntate se videtur obligasse pœne, quia crimen grave
 non potest non esse punibile, ita, ut qui directe vult peccare, per conse-
 quentiam & pœnam mereri voluerit. Quo sensu Imperatores crudam
 ajunt: Ipse te huic pœne subdidisti, & qui sceleratum capiunt consi-
 lum, suo merito jam tum puniri, id est, sua voluntate pœnæ meritum
 contraxerunt.

contraxisse videntur. Et Tacito mulier, qua se servo conjunxisset, in
servitutem sui consensisse dicitur, quia id pœne in tales erat constitutum.
Eandem sententiam, non tamen eo plane modo, propugnat
Vasquius Controv. Illustr. Lib. I. c. 18. hisce verbis: *Nec du-
bium est, quin consensum legibus pœnalibus Reip. nusquam civium
dedisse videatur, non secus, quam reliquis legibus; Lex enim nihil
aliud est, quam contractus multorum hominum in idem placitum, &
consensus; cum ergo ex contractu consensu nostro obligemur, sic &
naturaliter pœnis legalibus obligamur in conscientie foro, non aliter,
atque eo in foro obligamur ex quolibet contractu & conventionione.
Neque ad rem pertinet, inquit, quod leges hodie plerumque non tam
nobis, quam à popolorum regentibus fiant; quandoquidem illi man-
datum & commissionem, ordinemque & consensum populi habere in-
telliguntur; unde quasi sibi ipsi leges pœnales scribere videntur, man-
data summo imperanti eas exequendi potestate. Consentunt quoad
rem ipsam, quicumque inter Moralistas reatum pœnæ per mo-
dum necessarij & proprii consequentis ex culpa profluere sta-
tuunt, cum per eum intelligant Dignitatem, sive obligationem ad
pœnam ex peccato ortam, vid. Joh. Jac. Müllerus Inst. Eth. P. I.
c. IX. §. 12. seq.*

III.

Quæ nostra sit super isto argumento sententia, jam dum
in Dissertatione priori exposuimus. Ubi partim ex obedi-
entia, quam subjecti imperantibus debent, partim ex jure illo-
rum, cui nisi responderet obligatio, facultas daretur ad con-
traria, deduximus reorum ad veritatem confidendam obligatio-
nem. Iisdem fundamentis nititur obligatio ad sustinendam
pœnam. Neque nullus sunt ponderis, quæ Grotius & Vas-
quius in medium proferunt. Unde saltem illa objectio cadit,
qua pœnam invitis inflegendam contendunt: obligationem
autem sponte explendam. Quanquam vero in eo non satis
sobrie philosophetur Vasquius, quod leges dicat esse pacta &
conventiones civium; attamen quia in constituenda potesta-
te civili legislatoria pacta interveniunt, quibus cives & inter
se coeunt, & voluntates suas voluntati imperantis submitunt,
ut

ut voluntas imperantis publica pro voluntate omnium civium habeatur, sicut in ceteris consensum hunc sequitur obligatio, ita ad poenarum irrogationem & consensisse & sese obligasse quilibet civis haud immerito censetur. Quam in rem ita Gualtelmus van der Muelen ad Groti loc. all. differit, *Mortales ea mente & intentione in civitatem coaluisse, ut sese in securitatem assererent adversus machinatories, scelera ac flagitia improborum hominum, cuiusmodi securitas, inquit, haberi non poterat, nisi summo constituto imperio, cui facultas competeret animadvertendi in facinorosos, & publice securitatis perturbatores; quippe cum nullum aliud remedium, quo à malefaciendo deterrentur homines improbi, quam delictorum, que sponte contrahuntur, coercitio, que vana, nisi cum poenarum metu conjuncta, eo ipso, quod mortales se in hanc securitatem, coeundo in societatem, voluerint asserere, presumendi, ejusmodi potestatem illi, cui curam demandarunt, ne societas, vel ejusdem membra aliquid detrimenti caperent, detulisse, que valeret ipsis illam securitatem prestare, cui sese submittere necessum habebant, & idcirco sese obligare ad perferendam poenam, quam delinquendo quisque meritis, tanquam necessarium medium, sine quo nulla prestari à summo imperante potest securitas. Ex consensu itaque ad poenam obligatio, imo ex contractu consensu constante; qui desert jus animadvertendi in delinquentes, ille simul desert jus animadvertendi in semetipsum, casu, quo delictum aliquod commiserit; quippe si quisque semetipsum exciperet, frustra omnis coercitio, & idcirco nulla prestari posset à summo imperante securitas. Et paulo post: Vana ejusmodi potestas, nisi ab altera parte obligatio, qua ad patiendum legis transgressores & delinquentes tenerentur, idque vi tacite conventionis, non solum inter imperantem & cives, sed etiam civium inter se, qui eo ipso, quod tacite pacti inter se junctis viribus publicam. & per consequens etiam privatorum salutem defensuros atque conservaturos, tacite quoque consensisse intelliguntur in ejusmodi patiendi & poenam subeundi necessitatem, si quis ex eorum numero delinqueret, atque ita publicam & privatam cujusque securitatem violaret. Sed & hoc attendi merecur, ipsos dissentientes legi vim obligativam tribuere: legis autem cum duæ partes sint, edictum & sanctio poenalis, sicut ad edictum primario, ita secundario & illo violato*

lato ad alteram ejus partem obligabuntur subjecti. Porro dubium non est, quin ad pœnam pecuniariam damnatus multam non tantum ex prudentia, ne reluctando majus malum sibi attrahat, sed potissimum ex justitia solvere teneatur imperanti: nam alioquin falsum esset, quod adversus Houtuynum recte asserit Pufendorfius: *Sanos homines iudicare, potestatem legitimam imperandi, & obsequendi obligationem sibi mutuo respondere.* Ipse vero ad pœnam generatim omnem requirit, ut pro imperio imponatur. At cur de aliis pœnis corpus affligentibus non idem dicatur, nulla alia ratio reddi potest, quam quod hæc instinctui naturali nimis repugnent. Sed sic ne miles quidem obligabitur ad stationem non deserendam, quæ cum vitæ periculo est conjuncta sæpe manifestissimo: ut nihil dicam de eo, multos dari, qui malint vel mortem, vel saltem corporis haud leves cruciatus perferre, quam fortunarum facere jacturam. Tandem veram esse obligationem ad exsolvendam pœnam conventionalem, quam vocant, commissam, nemo, ut opinor, negaverit, nisi quis pactis omnem obligandi vim velit adimere. Nulla autem idonea ratio potest reddi discriminis eo valentis, ut obligationem in his excludat. Nam quod illa pactis, hæc legibus adjicitur, ad rem nihil facit, imo nostram magis confirmat sententiam, cum pacta omnem obligandi vim à legibus mutuentur: sicut & illud potius pro nobis militat, quod pœna proprio sensu accepta non nisi superiori debetur, cum conventionalis vel patri, vel inferiori quoque interdum exsolvenda sit. Tanto igitur facilius necessitas moralis concipi potest ad illam, quam ad hanc sustinendam, quod obligatio à superiori etiam invitis subjectis imponi potest, quam adversus æquales non nisi volentes suscipiunt.

IV.

Multa dissentientium argumenta in superiori Dissertatione refellere conati sumus, quæcunque nimirum in quaestionibus jam pertractatis ab istis adhiberi deprehendimus. Sed cum varia sint, quæ ad rationes pro nostra sententia alatas

latas excipere soleant, illa quoque considerabimus. Nempe cum ex obedientia subditorum imperantibus debita teneri eos non modo ad comparandum & confitendum, sed etiam ad poenam patiendam consequi videatur, Puf. Lib. I. X. c. 3. §. 4. excipit: proprie dici non posse ad poenam aliquem teneri, seu poenam ab aliquo deberi, quia poena significet aliquid, quod invito sit imponendum, & voluntatis aversionem ab illa involvat. At vero, ad qua proprie tenemur, talia esse intelligi, ut ad eadem prestanda ultro ac libenter moveri debeamus. Unde, inquit, adparet ratio, quare verbi gratia, quando in eodem vallo extruendo idem opus faciunt rusticus aliquis imperio Domini citra mercedem, & maleficus ad id condemnatus, huic opus illud poena sit, illi non item: quia ille ex obligatione, adeoque ultro id facere intelligitur, alteri vero idem tantquam aliquid ab ipsius voluntate abhorrens imponitur. Enim vero ad essentiam poenae non pertinet, ut invito infligatur, cum alioquin poena dici non posset, quae ultro se deferenti infligitur. Neque illa voluntatis aversionem simpliciter involvit, uti superiore dissertatione declaratum est; neque ad omnem obligationem requiritur, ut ultro & libenter expleatur, siquidem haec voces idem significant, quod nemine postulante, & cum quadam voluptate: si vero denotent, sine repugnantia & patienter, omnino hoc sensu ultro & libenter poenas sustinendas asserimus. Nullam quoque rationem videmus, cur, si duo in eodem vallo extruendo idem opus faciant, alter ex imperio striete sic dicto, alter ex jure poenarum, hujus opera non aequae & in sensu morali debita dici possit, atque illius? ultro & libenter posteriori tantum sensu prior non minus, ac posterior id facere intelligitur, maxime si imperium sit durus, & facienti molestum. Vidit Vir Illustris, magnopere sibi obistere debiti, inde enim colligi, ad id luendum aequae teneri peccatorem, atque illi, qui creditoribus suis ob mutuum sunt obstricti. Hoc telum ut declinet, hunc in modum differit: Peccata ideo debita appellari, non quia ex consensu in istis oritur obligatio, sed quia Legislator non minus potestatis nactus fuerit ad poenam a delinquente, quam creditor ad mutuo datam poenam a debitore

debitore exigendam. Et quia peccatoris corpus atque bona non minus magis pro delictis, quam debitoris bona creditori pro debitis sint obnoxia. Sed ista quidem nodum nobis solvere non videntur. Nam debitum non significat potestatem exigendi, sed obligationem dandi, præstandi, patiendi; & præterea supra jam mentionem est, inanem esse potestatem, cui in altero jus impediendi ejus exercitium opponitur. Quod si ergo legislator non minus potestatis habet ad penam à delinquente, quam creditor ad pecuniam à debitore exigendam: perinde illi, atque huic respondebit obligatio. Adde, quod illa obnoxietas, si ita loqui fas est, qualitatem aliquam moralem denotet in delinquente non activam, sed passivam, quam obligationem appellamus.

V.

Ad argumentum à jure imperantium desumptum, quippe quod sine obligatione ei respondenté inane videtur, si quis responat ex Puf. d. l. §. 5. *Ambiguitatem esse in vocabulo juris; Diverissima enim esse; Jus habeo ad aliquid agendum, Et, jus habeo ad aliquid ab altero accipiendum; prioris sensum esse: potestas mihi competit certum actum exercendi, Et in eo me impedire nemo debet; posterioris sensum hunc esse; jus est mihi ab altero quid habendi, ita, ut eidem alteri quoque inest obligatio id mihi tribuendi: ad id responderi ex ipsis hisce verbis potest. Sicut enim posterius connotat in altero obligationem id mihi tribuendi, ad quod accipiendum jus habeo: ita prius quoque non modo aliis, sed & illi ipsi, in quem agendi jus habeo, obligationem non impediendi imponit; impedit vero exercitium illius potestatis reus, qui damnatus pœnæ se subducit, eamque non patienter sustinet. Unde recte nostro judicio Barbeyrac ad h. l. Pufend. ait: *Pour moy, je ne voy pas, en vertu de quoy le dernier droit n'importe pas une obligation aussi bien que le premier. Si je puis legitimeement faire une chose par rapport a quelcun, il faut, ce me semble, qu'il soit tenu du moins de le souffrir, ou de ne pas me resister, lorsque j' use de mon droit; autrement ce droit seroit fort inutile Et de nul effet.* Digna consideratione sunt ipsius Pufendorffii verba, qui us Hobbessii jus omnium in omnia oppugnat, L. I. c. 7. §. 12.*

B

Ubi

Ubi, *Absurdum est*, inquit, *jus fingere, quod nullum effectum in ordine adversus alios obtineat. Nam in moralibus, non esse, & nullum habere effectum, idem fere est. At, quale jus est, cui alter pari jure possit resistere? Quis dixerit, me jus habere alteri quid imperandi, si ille pari jure imperata mea potest negligere? Aut me jus habere, verberibus quempiam cedendi, si pari jure & cum fenore illa mihi reponi queant? Quæ verba si ad præsens argumentum accommodes, nostram egregie confirmare videntur sententiam, Conf. etiam L. III. c. 5. §. 3.*

VI.

Ad consensum, quem Grotius & Vasquius urgent, tria regerit Pufendorfius. *Primo ait, inde nihil aliud sequi, quam delinquentem, si ad pœnam trahatur, non posse queri de injuria: quod specioso hoc exemplo illustrare nuper voluit scriptor celeberrimus: Qui ex lubricitate salium periculi plenum suscipit, si crura frangat, non poterit conqueri de injuria, quia qui vult antecedens, debet etiam velle consequens. & ita dicimus, eum esse obligatum, ut hoc crurifragium patienter ferat. Sed quis tamen inde vellet inferre, eos qui tales salus faciunt esse obligatos in conscientia ut crura frangant, & peccare eos, si crurifragia non sequantur? Secundo ait Pufendorfius, haud quicquam recte dici, aliquem in pœnam suam directè & immediatè consensisse: cum, quod tertium est, nemo delictum admittat, quin simul speret, sese latendo, aut alia ratione pœnam declinaturum. Hic arbitramur, non confundendum consensum in delictum cum consensu in imperium: illo Grotius, hoc Vasquius niti videntur. Demus hoc Viris eruditis; Non sequi ex illo solo obligationem ad pœnam, hoc tamen rectè inferitur, palmariam illam rationem, quæ pœnam invito infligendam contendunt, non parum inde labefactari, quia ostenditur hoc modo, non excludi omnino omne Voluntarium. Veruntamen si simul etiam adjungas consensum in imperium, quo quis ad leges imperantis servandas sese obstringit, per consensum in delictum illa obligatio ad pœnam ex parte delinquentis efficax redditur, quæ à conditione non servatæ legis hæctenus erat.*

erat suspensa. Neque verò directus tantum & immediatus, sed & indirectus & mediatus consensus effectus morales producit. Hinc & cujus voluntas indirectè tantum influit in actus damnium alteri inferentes, ad ejus reparationem obligatur. *Qui vendit, inquit Huberus, tenetur ad evictionem; et si nihil de illa dictum sit, non quidem directe sed immediate; nihilominus vere, quoniam hæc est proprietas venditionis ex jure gentium, ut venditor præset rem habere licere.* Ex eodem fonte respondet Vir CL. ad tertium: *Quasi venditores etiam sepe non sperent, evictionis præstationem se declinaturos, invitique ad eam compellantur, idque precedentem illorum obligationem et consensum everteret.* Manifestissimum id omnino est in fidejussione. Nemo est, quin speret, ipsum principalem debitorem soluturum, seque ab onere solvendi liberum fore; nisi enim de ejus & fide & facultate persuasus esset, non fidejuberet. At hoc non impedit, quo minus, illo non solvente, hic obligetur ad satisfactionem. Instantia illa ab eo, qui crura frangit, desumpta ideo nobis non adversatur, quia non ex solo consensu in factum, sed simul ex consensu in imperium deduximus obligationem, & qui eruris fractionem tanquam pœnam temeritatis à DEO illatam spectat, omnino ad illam patienter ferendam, non dissentite ipso viro doctissimo, obligatus est. Neque verò aliud volunt, qui nobiscum obligationem ad pœnam ex delicto oriri statuunt. Nimis enim crudum foret dicere, eum, qui furatus est, obligatum esse, ut suspendatur, & peccare eum, si suspendium non sequatur. Ipsi utique fatemur, eoque se non extendere obligationem, ut delinquens se ipsum offerat ad pœnam, eamque ultro sibi accersat. Illud etiam hic monendum, obligationem restitutionis ex jure naturali provenientem non bene opponi consensui, qui illi potius debet subordinari. Ex consensu in pœnam non oriri obligationem restituendi, facile largimur. Diversi enim effectus sunt obligatio ad restitutionem & obligatio ad pœnam, quantum à quibusdam male confunduntur: sed nisi consensus præcesserit qualiscunque, vel directus, vel indirectus, in delictum.

ordi-
ffant
i jure
andi,
ver-
bi re-
om-
iam,

ent,
equi,
queri
vo-
enim
lt au-
ntum.
erre,
frak-
Pa-
nam
ntium
e la-
tra-
con-
vide-
obli-
riam
lunt,
non
imul
leges
a de-
effi-
eris
erat

104



lictum, vel in actum, ex quo damnum sequitur, nulla etiam oritur restituendi obligatio. Apud omnes enim in confesso est, dolum & culpam, non vero casum fortuitum praestari debere.

VII.

Quae ex Hobbesio de Cive cap. II. §. 18. adversus obligationem ad poenam afferri possunt, eorum partem ipse discussit & confutavit Pufendorfius L. III. c. 7. §. 5. Nos pauca quaedam annotabimus. Nimirum recte negat Pufendorfius, rem esse absolute humana constantia majorem, mortem citra reluctantiam admittere. Perperam vero concludit Hobbesius non esse pactis obligatos maleficos ad non resistendum, quia vinculis constringantur, aut satellitibus custodiantur. Nam quemadmodum non sequitur, pacta per se obligandi vim non habere, quia novum illis vinculum interdum accedere solet, jusjurandum; ita neque hinc, quod vinculis naturalibus constringuntur delinquentes, recte infertur, vinculo eos morali non teneri. Quoties vi compellendi sunt homines, ut obligationi suae, quam sponte explere debebant, satisfaciant? Neque vero immerito diffiditur illis, qui violando obligationem in hunc statum pervenere. Nam bonus praesumi nequit, qui malitiae suae specimen dedit. Quod porro dicit Hobbesius, & concedit Pufendorfius, *Hinc pacto, Ni fecero, habebis potestatem vi & malo intentato me compellendi; ut aliud pactum superaddatur de non resistendo illud malum intentandi, inutile esse & absurdum*, quo sensu verum sit, & quam vim probandi habeat, ostendit Dn. Thomae Inst. Jur. Div. Lib. III. c. 7. §. 86. & seqq. Ut enim nihil dicamus de falsa hypothese status naturalis hostilis, cui pleraque Hobbesiana innituntur, res paucis huc redit: Pactum tale expressum addi, inutile, hoc est, superfluum est: nam in primo jam implicite continetur: neque tamen idcirco nullum effectum habet. Quid si quis mutuo sumferit pecuniam, assignataque hypotheca ita promiserit: Nisi intra annum numeravero pecuniam debitam, potestatem tibi tribuo vindicandi hypothecam (abstraho autem hic à legibus civilibus

vilibus) annon pro cavillatore omnium consensu haberetur, qui post elapsum tempus asserturo hypothecam vi vellet restituere, caussatus, se potestatem quidem illi tribuisse invadendæ & vindicandæ hypothecæ, non tamen se ad non impediendum obligasse. Ita videlicet superfluum foret pactum, quo quis conclave in ædibus locans alteri simul aditum se concessurum neque impediturum, quo minus conclavi legitime utatur, polliceretur: ad hoc enim ideo obligatur, quia in ipso locatio- nis contractu jam continetur, quippe quo alias nihil actum foret. Tandem Hobbesius ait, Civitati opus non esse, ut aliquem puniat, postulare, ut patientiam præstet, sed tantum ne quisquam defendat alios. Ad hoc vero optime responsum est sã Viro Celeberrimo, *Parum securitatis id allaturum Principi, si hoc modo ipse cogeretur vitam suam exponere periculo: sed cum fortasse hoc velint dissentientes, singulos cives fidem dare debere, quod velint vires suas conjungere adversus delinquentem ad sumendum supplicium.* Quid si, inquit, ingens multitudo aut magna pars populi deliquerit, quod nunquam contigit? Hic sane non ita sufficiens est remedium ad reducendam tranquillitatem civium reliquorum assistentia, adversus delinquentes de justitia resistentiæ suæ persuasos, quam si tandem vana ista persuasione vacui, & stimulis conscientie turbati, vel timidius resistant, vel sponte poenitent se subiciant. Neque hujus instantiæ firmitas labefactari per id videtur, quod alibi dicitur, sufficere hic jus puniendi in principe, & naturam veri juris retinere, si correlatam habeat obligationem concivium adjuvandi principem in exercitio hujus juris, si modo non resistant delinquentes cum nova regularum justitiæ vel decori violatione: Quod si aufugiant, purgatam jam esse Remp. malis civibus. Neque enim jus naturæ præcise poenam capitalem dictare, sed & relegationem poenam esse. Nam primo jus illud, cui respondet obligatio concivium adjuvandi Principem, proprie non est ipsum jus puniendi, sed cum jure puniendi necessario conjunctum, adeoque per hoc correlatum naturam veri juris non induit, sed per alterum illud, quod in ipso puniendi fundatur. Deinde illud adhuc disquirendum, annon de novo regulæ justitiæ & decori violantur,

lenrur, si eives propria sponte ex civitate, & quidem in præfenti casu gregatim discedant, quo discessu imminui vires Reip. necessum est? Quanquam enim Pufendorfius L. IIX. c. 11. §. 4. Contra Grotium eam discedendi libertatem concedat civibus: Hertius tamen ad istum locum probe observat, non bene constare sibi Pufendorfium, neque hanc ejus sententiam admittendam esse. Tertio cum imperantis sit decernere pœnam, qui pœnam in se ipse constituit exilio voluntario, in jura illius involat, & novam illi injuriam infert. Postremo addit Hobbesius, pacto non resistendi obligari nos duorum malorum præsentium eligere illud, quod majus videatur; id quod sit impossibile. Sed regulam hanc male applicat. Nam resistere magistratui malum turpe, atque obinde majus malum est, quam certam subire mortem.

VIII.

Ad eludendum argumentum à duabus partibus legis desumptum Pufendorfo argute ab Hobbesio de Cive C. XIV. §. 77 videtur dictum: partem legis secundam, quæ vindicativa vel pœnaria appellatur, mandatoriam esse, & loqui tantum ad ministros publicos. Sed si prior legis pars dicit, *hoc fac, posterius, nisi feceris, pœnas dabis*, uti explicat Pufendorf. L. I. c. 6. §. 14. manifestum est, hæc saltem sub formula dirigi posteriolem legis partem potius ad delinquentes, quam ad ministros. Non tamen negamus, legem judici inferiori quæque pro norma esse, secundum quam jus dicat & pœnas infligat. Est enim vis legis significativa, quippe quæ voluntatem imperantis declarat, tum violatoribus legum, quid ipsis patiendum, tum earum custodibus, quid ipsis agendum sit, indicans. Demus vero, ante condemnatoriam sententiam actu nondum obligari delinquentem ad pœnam, quod ex ista hypothefi, de posteriori legis parte ad judices loquente, diu ante Malmesburiensem Philosophum deduxit Dom. Soto de J. & J. L. I. qu. 6. art. 6. sane per latam sententiam, dum pœna ad delinquentem applicatur, huic ipsi quoque obligatio imponitur ex voluntate Legislatoris, qui dum punire jubet fontem;

tem, non potest non simul velle hunc puniri & punienti non resistere.

IX.

Aliis exceptionibus adversam sententiam tueri conatur in Foro Conf. P. II. q. 18. Joh. Andreas Van der Muelen, à fratre Guilielmo circa hoc argumentum multum dissentiens. Nam cum ex defectu obligationis ad pœnam asserere constituit, juste incarceratum mortisque pœnam digne passurum posse salva conscientia effringere carceres pro fuga captanda, sibi que ob stare videret L. I. pr. ff. de Effractor. & l. 13. ff. de custod. Reor. non negat quidem justas, & pro bono Reip. sanctissime conditas esse has leges, concedit etiam leges civiles justas regulariter in conscientia obligare, fallere tamen hoc, quando expresse seu tacite constat de contraria mente legislatoris, uti hoc casu, ubi legislatoris intentio tantum fuerit, reos duntaxat obligare ad pœnam, ne alias tolleret jus à natura descendens, conservandi scil. se ipsum, quod impossibile sit. Ad istam rationem, quam nos quoque & superiore dissertatione proposuimus, & in hac §. 3. repetivimus, quod scil. remota obligatione ad pœnam daretur facultas ad contraria & bellum utrinque justum, respondet, negando dari hic justum ex utraque parte bellum, supposito, non esse de intentione legislatoris, compellere reum sub reatu peccati, ne carcerem effringat. *Et esto, pergat, bellum sit utrinque justum, videlicet à judice juste præcipi, ne carceres effringantur, & similiter à reo juste frangi, nullum in hoc absurdum latet, cum diversis respectibus admitti potest bellum ex utraque parte justum: sic judex juste præcipit habendo respectum ad bonum commune, ne crimina maneant impunita: reus item juste frangit ob suam naturalem conservationem.* Ultimo cum sibi objici posse intelligeret: Judicem incarcerationem reum tacite seu virtualiter ei præcipere, ut in carcere maneat, donec sententia in eum feratur, nam incarcerationem in illum finem tendere: facere igitur videri contra obedientiam & jussum judicis, si frangendo carceres fugiat; ad id respondet, concedendo, virtualiter & implicite judicem præcipere.

re.

re reo, cum eum incarcerat, ut ibi maneat sententiamque expectet: non tamen ex hoc sequi, peccare reum contra obedientiam, rumpendo carceres & fugiendo, quia non fit ejus intentionis obligare reum in conscientia ad non fugiendum, si possit, hoc enim esse *advaros*, sed tantum sub obligatione pœnarum, & sic non facere contra obedientiam. Verum deus, leges quasdam sub pœna, non vero sub culpa obligare, de quibus vid. Sanderfon de Consc. Præl. IIX. Pufend. L. IIX. c. 3. §. 4. talis lex præsumi non potest, nisi ex circumstantiis constet legislatorem nihil aliud voluisse, quam ut cives licentiam agendi aliquid vel omittendi certo quodam quasi tributo redimant: quæ præsumtio locum non habet, ubi actio expressis verbis, de serâ & absoluta legislatoris voluntate testantibus, præcipitur vel interdicitur, velut in præsentî casu nemo, ut arbitror, dubitare potest serio voluisse legislatorem, ut reus maneat, cum supplicium constituerit effractoribus, quæ pœna adjecta facile ostendit, quæ mens fuerit legislatoris, minimè scilicet optionem dare reo, sed pœnæ gravitate ab effractione absterre. Quanquam enim non convenient inter se juris interpretes, qualis pœna per supplicium ibi intelligatur. Vid. Stryckius Diss. de Carcere ad Custodiam. c. V. Vox tamen ipsa ostendit, non levem intendisse legislatorem. Neque hoc effugio quicquam lucratur Van der Muelen, sed suo se gladio potius jugulat. Nam si effractor obligatus est ad pœnam, quidni ad pœnam obligetur ex scelere, ob quod in carcerem conjectus est? Si verò obligatur ad pœnam, cum obligatio vinculum injiciat conscientiæ, illam declinare aut impedire salva conscientia nequit: imò cum ex legibus istis ad supplicium, vel saltem ad graviorem, quam causa ipsa merebatur, pœnam obligetur conscientia, manere potius debet, quam majus sibi malum, ad quod isto fatente obligatur, attrahere. Jus autem naturale, sui conservationem præcipiens, istis legibus minimè tollitur: quippe quæ præsupponunt conservatione indignum esse, qui supplicio dignus judicatur. Habet verò sui conservatio limites à conservatione societatis circumscriptos, ad quam cum pertineat, ut legitime imperanti præstetur obsequium, & fontes puniantur, major

major obligatio minorem absorbet: nisi fortè & illud admitte-
re velimus, militem stationem deserentem, aut in oppugna-
tione vel conflictu cunctantem justam habere excusationem,
quod tam durum mandatum jus se conservandi tollat. Nam
quod Grotius ait L. II. c. I. §. 4. *Naturam solam si respiciamus,*
multo apud eam minorem esse societatis respectum, quam proprie salu-
tis causam, id nisi de primis naturæ, sive de natura animali
accipiamus, notante Bœclero, non simpliciter admittendum
erit. Natura enim rationalis, sui finis satis intelligens, cum
ad societatem colendam condita sit, ipsam *φιλανθρίαν* ita mode-
ratur, ut inde leges accipiat, & non raro illi cedere debeat.
Prior ad secundum argumentum responsio per ea, quæ jam di-
ximus, concidit. Sed quomodo hic, quæso, potest utraque
pars justum gerere bellum? Ubi enim imperans pro bono
communi pugnat, altera pars resistendo illud impugnat, nul-
la potest ex hac parte esse justitiæ species, cedit enim sui conserva-
tio bono communi. Ad tertium argumentum nihil dicitur,
quam quod circa primum jam negatum est. Et ex eo, quod
fatetur, judicem præcipere reo, ut maneat, firmissime elicitur
non tantum sub pœna, sed & sub culpa obligari reum, ut obe-
dientiam præstet. Nam qui præcipit, non concedit optio-
nem, sed id, quod præcipit, simpliciter fieri vult; qui autem
voluntati legitime imperantis refragatur, & culpam contrahit,
& ad pœnam obligatur.

X.

Dari jus, cui in altero non respondeat obligatio, doctis-
simus scriptor supra laudatus hisce casibus ostendere vult: si
tabula in naufragio duos servare nequeat, utrumque habere
jus alterum depellendi, sine correspondente obligatione, ean-
dem esse rationem, si claudus, vel alius me fugientem impe-
diat. Sed quod ad posteriorem casum attinet, malim dicere
venia & excusatione dignum, qui in ea consternatione, quam
vitæ periculum gignit, claudum vel infantem in via opposi-
tum obtriverit, quam vero aliquo jure id faciendi gaudere.
De priori ita sentio, qui prior tabulam occupavit, eum omni-
nò

C

nò

no habere jus alterum depellendi, sed & huic incumbere obligationem alteri cedendi: quamquam & hic, si obligationi non satisfaciatur, commiseratione potius & venia ob consternationem, quam poena & odio dignus est. Maxima difficultas in eo est: si uterque eodem tempore apprehenderit tabulam. Sed id vix continget, ut non alter vel momento temporis occupaverit. Tum vero si uterque persuasus fuerit, se priorem fuisse, orietur bellum ex utraque parte formiditer, non autem materialiter iustum, ob alterius errorem ea in animi conturbatione invincibilem, de quo Grotius Lib. II. c. 23. §. 13. n. 2. Pone vero simul eodemque omnino instanti occupatam esse tabulam, ne sic quidem uterque alterum depellendi jus habebit. Alioquin uterque alterum injuria afficeret, & neuter tamen injuria afficeretur, quod manifestam involvit contradictionem. vid. de tali casu Cic. offic. III. c. 23. Veruntamen etiam si concederetur, in ejusmodi necessitatibus dari jus quoddam irregulare, cui non respondeat obligatio, non arbitrator, id accommodari posse ad jus puniendi, quod cum sit jus ordinarie majestati competens, consensu translatum, irregulare vix dici merebitur.

XI.

His ita positis, facile patet, quid respondendum sit ad quaestionem: An Reus ex carcere aufugere, vel comprehendenti aut poenam exequenti resistere possit? Pierique Moralistarum, quos vocant, inter Pontificios asserunt, ante sententiam latam posse reum ex carcere fugere, nisi forte juraverit, vel promiserit, se permansurum; posse quoque fugere condemnatum ex carcere, in quo tanquam in custodia teneatur; damnatum ad mortem vel aliam poenam corporalem posse corrumpere aut fallere custodes, etiam si videat, his poenam inde imminere, posse compedes limare, fores perfringere, murum perforare: damnatum ad carcerem perpetuum vel etiam ad temporarium valde molestum & diuturnum licite fugere posse. Totum illorum fundamentum in eo consistit, quod putant, nullam esse in reo nec manendi in custodia, nec sustinenda

pena.

pœnæ obligationem; maxime si de vita agatur, que mlibet habere jus illam conservandi, qui autem suo jure utitur, nemini facere injuriam. Quod cum jam supra sit eversum, cadit tota argumentorum moles illi superstructa. Instat quidem Cajetanus, effractionem carceris non aliter se habere, quam si quis damnatus ad bestias possit bestias occidere. Sed respondet Becmannus in Lin. Doctr. Mor. C. XV. §. 3. in condemnatione ad bestias optionem quasi dari vel vitam amittendi, vel bestiam interficiendi; in carcere vero optioni tali locum non esse. Nos igitur nunquam fugere posse reum firmiter persuasimus, sive pœna carceris sit perpetua, sive temporaria; quia reus ad pœnam sustinendam est obligatus: neque si damnatus capitis in carcere tanquam in custodia teneatur; ob eandem causam: neque ante latam sententiam; quia qui carceri includit justa de causa, simul obligat, ut inde non aufugiat, cum detentio in vinculis physicis vinculum morale minimè excludat, sed huic ob malitiam hominum conscientiam parum curantium accedat. *Et tandem, ut bene Stryckius de Consc. partium, si citatus etiam ob delictum commissum capitale comparere tenetur, quod omnino asserendum, quid in vabit fuga, à qua per citationem iteratam revocari potest?* Unde etiam illud consequitur, male Azorium, Joh. de Lugo &c. asserere, amicos aliosque, præter justitiæ ministros & custodes, posse reo & consilium fugiendi & instrumenta licite suppeditare. Quod si igitur fugere non licet, aut carceres effringere, multo minus defendere se aut resistere licebit. In quo uti Moralistas, quos evolvimus, habemus consentientes: ita circa prius nobiscum sentiunt Becmannus Lin. Doctr. Mor. c. XV. §. 3. & Consp. Doctr. Polit. c. XVII. B. D. Osiander. Theol. Casual. P. II. c. 2. p. 71. Joh. Schmidius Diss. de Rei de carcere fuga. Eadem sententia propugnatur in Disp. sub Præsidio Stryckii de Conscientia Partium in Judicio habita, quanquam non diffitemur, illustrem ejus Præsidem in Disp. de Carcere ad custodiam c. V. asserere, indistinctè incluso fugere licitum esse è carcere, modo fuga ista non fiat cum effractione carceris, vel vinculorum.

XII.

Quantum autem supra à nobis assertum sit, reum ad pœnam obligari, ea tamen obligatio actu secundo, uti loquuntur in scholis, se non exerit ante latam à iudice sententiam. Nam cum nemo seipse accusare teneatur, eoque pœnam ultro sibi accersere, multo minus sibi ipse pœnam irrogare tenebitur. Accedit, quod una aliqua circumstantia, ignorantia, error, infirmitas, juris rigorem temperare & pœnam mitigare possit. Quanta autem debeat pœna ex legibus, non rei, sed iudicis est definire. Sed prolixè hanc quæstionem tractat Dom. Soto de J. & J. L. I. qu. 6. art. 6. conf. laudata Stryckii Dissert. de Conf. Part. c. V. n. 9. seqq.

XIII.

Simul atque vero lata est sententia, incipit sese exferere obligatio ad præstandum, vel patiendum, quod ea fuit dictatum. Sunt nimirum quædam ita comparata, ut à condemnato ultro præstari debeant; ad alia, quæ amoris sui & studio se conservandi nimium repugnare videntur, sufficit obedientia passiva. Itaque multam solvet reus, in carcerem, ad operas, in exilium ibit, non expectata coactione violentaque executione. Et si hæc talia non fecerit iuste damnatus, obligationem violat, & conscientiam vulnerat: uti non dubitamus, Simeci domo, ubi se continere debebat, egressum contra obligationem fecisse, 1. Reg. c. II. v. 36. seqq. Imo & ad locum supplicii progredietur, & manum porriget amputaturo, & collum percussuro, & scalas adscendet, reliqua patienter feret. Atque hæc tenus arbitramur admitti posse in hoc argumento distinctionem inter actus ultimos pœnæ, malumque immediatè inferentes, & antecedentes, sive concomitantes, per quos tamen dolor immediatè non inferatur. vid. Dn. Thom. J. P. D. L. III. c. 7. §. 69. seqq.

XIV.

Non igitur asserimus quenkum crimine capitali admisso, lataque etiam sententia obligari, ut ipse sibi manus inferat violentas. An vero salva conscientia id facere v. gr. venenum sumere, venas sibi aperire queat, si quidem à magistratu jubeatur, vel,

vel, an optio poenarum licita sit, alia est quaestio. Ad posteriorem quaestioni partem affirmando respondet Becmannus Med. Pol. c. XV. §. 3. priorem autem negat; quia rei sic instrumenta nimis activa se praeberent ad propriae naturae everjionem. At vero uti eos non excusamus, qui praeter vel contra sententiam iudicis mortem sibi accelerant: ita salvo aliorum, quos veneramus, iudicio non improbandum putamus, quod B. Hedingerus in Conspr. Nat. Jurispr. Tit. VII. §. 8. p. 178. ad quaestionem: An venenum bibere iustus aut venas solvere à Magistratu, certa moriendi necessitate, licite imperata exequatur? respondet: *Quemadmodum in poenis exantlandis non omne exulat voluntarium.*

peccando enim & in civitates cocundo ad has nos obligavimus, ita quin mortis speciem & eligere & inferre permissum sit, non dubito. Lentam enim nec scdam mortem inducunt ut ejus praeparationes. Consentit Velthemius ad Grot. L. II. c. 20. qu. 4. p. 124. hoc usus argumento: Si solus magistratus manet auctor poenae, per quemcunque tandem executio fiat, sequitur, quod, si magistratus jubentis expressa voluntas adsit, quis in se ipso iustam poenam exequi possit. Idem tamen non male observat, magis consultum esse, si à tali iussu iudex abstineat; conf. Wernherus in Diss. de jure sibi ipsi nocendi, König Cas. Conf. ex Dec. Cas. VI. p. m. 56. Historiam talis sententiae exhibet ex Aeneas Sylvii Hist. Boh. Camerarius in Horis subc. Cent II. c. 60. de Durigo, qui proditoris damnatus, data inter tria mortis generis optio, ex alno se suspendit.

XV.

Haecenus de Reo noxio; nunc pauca de innocente addemus. Hunc ex culpa non obligari ad poenam, res ipsa docet, cum culpa non nisi ex delicto sive legis violatione oriatur. Socrates quidem apud Platonem in Critone contendit, homini ad mortem damnato non licere fugere, si possit, quantumvis iniusta sit sententia. Nos & fugere, & vincula perumpere, carceresque effringere posse innocentem, siquidem iniquam sibi sententiam, sortemque nimis duram imminere videat, non dubitamus. Injuriam enim declinare injustum non est: Effractura carce-

carceris impune committitur, inquit Stryckius, quando quis iniuste ac indebite est incarceratus: hic enim & vi fores efringere carceris potest & impune fugere. Hoc enim magis fraudem & damnum injuriosum avertere est, quam crimen committere. Id quod non dolo, sed prudentia adscribitur. de Carcere ad Custod. c. V. n. 5.

XVI.

Difficilior quaestio est: An captivus innocens, captus tamen damnatus, eade custodum vel executorum fugam sibi procurare, eoque supplicium declinare possit? Negat Becmanus Lin. Doctr. Mor. c. XV. §. 3. addita ratione: quia ne in causa DEI quidem contra Tyrannum surgere liceat. Ergo tanto minus in causa nostra id licere. Ad objectionem: Esse modum necessariae defensionis, respondet: Necessariam defensionem esse licitam sed erga pares, custodes vero esse instrumenta Magistratus. At Van der Moele in Foro Consc. Part. II. Quaest. XVII. cum probasset, reo nocenti id non licere, addit: Secus respondendum, si innocens pro delicto falso ei obiecto incarceratus & damnatus sit, quo in casu si sit in evidentissimo mortis periculo, ita, ut mortem evitare nequeat, nisi occidendo carceris custodem, eo in casu illum non delinquere existimo, quia dat operam rei licitae & necessariae, scil. sui ipsius innocentis conservationi, quo in casu innocens per accidens absque peccato occidi potest, Amef. de Consc. L. V. c. 31. th. 3. Cessat etiam ratio, ob quam casu altero mortem pati debebat, nimirum satisfactio iustitiae, qua cessante jus naturale, quo pro virili sua vitam sibi vindicare ipsi concessum est, in antiquo vigore manet, suaeque auctoritate illum protegit. Nec hoc in casu innocentem intentionaliter occidisse dici potest, cum illa mors ex ipsius salutis procurratione per accidens tantum & praeter intentionem sequatur, quocirca nec enim in foro externo de homicidio teneri deservit D. D. per l. 36. ff. de capt. & postlim. revers. Nominat insuper secum consentientes Lucam de Penn in l. prohibitum. 5. c. de jur. fic. Mascard. de probat. concl. 266. n. 27. Simon. Praesid. Acad. diff. 2. cap. 6. §. 15. & Covarruviam confutat, qui illam sententiam procedere duntaxat putat in casu, quo quis ex tyrannide damnatus esset, non vero si ex actis & probatis, etiam si falsis. Objicit sibi quidem postea, hoc casu evadentem resistere potest. In quare sententia illicita est. Verum respondet: Praeterquam quod non tam proprie

proprie plena resistētia, quam quidem vigilantia seu remotio impedimen-
 ti defensionis obstantis duci mereatur, se huic praecepto de non resistendo
 potestati opponere praeceptum se defendendi: quando autem duo praecep-
 ta concurrant, illud cedere debere, quod minorem vim altero in se con-
 tinet. Postquam deinde adversus Simonem aliosque licentiam
 ipsi Principi resistendi asserere ausus est, ita concludit: Frustra
 quispiam huic nostrae doctrinae objiceret, durissimum esse & ab omni ju-
 stitia alienum videri, occidere custodes carceris, qui ad custodiendum con-
 guntur sub gravissima poena, si captivi effugiant, uti constat ex Jure Di-
 vino 1. Reg. XX. v. 39. 42. & 2. Reg. X. v. 24. & ex jure civili l. si
 quis aliquis 38. §. miles. 11. ff. de poen. l. ult. ff. de cust. reis l. 4. C. eod.
 Responset enim Simon d. S. 15. innocentem jure suo uti, adeo, ut illi
 innocentes considerari debeant, uti in bello publico defensionis milites
 bonae fide hosti militantes, qui salva conscientia ab aliis contra mili-
 tantibus ob corporis defensionem interfici possunt, non obstante eo-
 rum innocentia, cum sint instrumenta mortis in eis inservientia. In
 his Muelenti verbis est non omnia probemus, maxime, quae
 de licentia resistendi principibus dixerit: quaedam tamen
 ita comparata sunt, ut sententiam de licita custodum atque exe-
 cutorum caede admodum probabilem reddant. Nam quae ratio
 bona fide militantes, in vaorem errantem, furiosum, ebrium,
 noctambulum occidere permittit, eadem quoque hic militare
 videtur. Quod ad rationem dubitandi à Becmanno propo-
 sitam attinet; Si Princeps ministros adhibeat ut iniqui mandati execu-
 tores, hoc, jūdice Vitriario, malitia Regis non praestabit sacrosanctos,
 & ab Imperio iniusti Regis & Tyranni nullam facultatem iniuste agendi
 consequuntur; sed abistere debent ab executione praecepti iniqui; mini-
 sterium enim est crimen. Et hinc si malitiam malitiae conjungant, inque
 executione pergant, quin à laevis omnes tanquam latrones trucidari pos-
 sint, non dubitat, Inst. J. N. & G. L. I. c. IV. qu. 8. conf. Horn.
 de Civ. L. II. c. 12. §. 11. Unde & Stryckius Diss. all. de Carc. ad
 Cust. Potest. inquit, iniuste carceratus in foro conscientiae est carceribus
 asfugere, est inde custodi detrimētum aliquod contingat. & si mortem
 aliter talis iniuste carceratus evadere non posset tunc custodes interficere
 poterit; & paulo post, n. 7. Licitum est effractio carcere, ruptisque
 vinculis fugere, si incarceratus iuste metuat iniquum iudicem, qui ini-
 quam

ste ac
 test &
 aver-
 dia ad-
 rapitis
 em sibi
 man-
 ne in
 o minut
 cessaria
 ed erga
 Muel-
 et, reo
 ens pra
 si sit ta
 nisi oc-
 cistimo,
 nocenti
 o occidi
 tio, ob
 dia, qua
 esi con-
 protegit.
 cum illa
 eter in-
 omicidio
 reverf-
 n in l.
 6. n. 27.
 m con-
 asu, quo
 s, etiam
 potest. n.
 non tam
 proprie

quam sententiam contra Reum sit laturus; tunc enim etsi custodes carceris interficiat, quo an fugere valeat, à pena immnis erit; in tali namque eventu mortis periculo ejusmodi est constitutus, quod aliter effugere nequit. Eiusdem hæc sunt verba in Foro Consc. c. VI. n. 108. seq. Non alienum ab hoc loco erit, de incarcerato quævisse, an hic si injustissime incarceratus sit ad se liberandum occidere custodem innocentem possit? Et primum hic interesse puto, an incarcerato damnum reparabile imminet, aut irreparabile, illo casu licitum non est internectione custodis se è carcere liberare Zas. Comm. ff. de Custod. § exhib. reor. in fin. Si vero damnum irreparabile, e. g. si injusta mortis sententia jam dicta, § dies supplicio destinata; tunc iterum attendendum, an provocatio ad superiorem salva sit, an secus: illo casu provocationis remedio uti debet; hoc casu si nullum aliud effugiendi remedium super sit custodem occidere licebit, quod in custode, qui iniquitatis sententia conscius est, admittit Diana Resol. Moral. T. IIX. Tr. V. Resol. 45. n. 2. Ego vero idem ad custodem ignarum extendendum puto. Quod licet durum videatur, cum delictum iudicis male me condemnantis custodem in seipsum non afficiat, qui carceratum diligenter custodiendo officio sibi commissio saltem fungitur. Attamen cum perinde sit, an iudex injustus ipse me detineat, an per alium licet ignarum faciat, non video, si iudici tali casu resistere s. c. licet, quare non in ministro ipsius idem liceat. — Sit hic forte immnis à scelere; scelerati tamen iudicis iusta exequendo, non à culpa immnis est. Mibi itaque, cui vite meæ conservationem insumit naturas in hunc custodem quoque jus datum censetur, ut si cause injustitiam antea ipsi querelando exposuerim, § aliter non possim, ipsam occidendo meliorem. Nec aliud exigit ordinata charitatis regula, que eatenus parcere alteri jubet, quatenus mihi non noceo. Si peccatum si esse dixeris, hoc non in me tanquam occidente, sed in ipso iudice custodem in hoc periculum conjiciente erit. Conf. Dn. Lederer de Bell. privat. l. 2. c. 11. §. 4. Harpr. ad S. Petr. Theodoric. Colleg. Criminal. c. 4. th. 11. n. 9 Gutierrez, l. 2. Quasi. Canon. 24. n. 34. § 38. Si cui tamen ob reverentiam erga magistratum vel sanguinis, ejusque, ut facile fieri potest, innocentis effundendi horrorem, durior hæc videatur sententia, ne quid dubitante conscientia faciat, tutius erit abstinere. Non enim peccat, qui injuriam patitur, quam non nisi tam extraordinario medio declinare licet.

Tübingen, Diss., 1710-13

ULB Halle
005 398 789


3



Sb.







DE
OBLIGATIONE-
NE REI
AD SUSTINENDAM
POENAM

1712, 3.

9

Auspice Deo,

PRÆSIDE

H. EBERHARDO RÖSLERO,

Philosophiæ Practicæ Prof. Publ. Contubernii
Rectore, Facult. Philos. h. t. Decano,

Pro Laurea secunda rite capeffenda

Disputabunt

H. CONRADUS ERGEZINGER, Renningenf.

&

H. FRIDERICUS WEIGELIN, Stuttgardianus.

Die Mart. Anno MDCCXII.

H. L. Q. C.

TUBINGÆ,

Literis HIOBI FRANCKII.

